


RMIr. Al.

938.



RMK III P. H. A. S.
6432

THESES MISCELLANEÆ
MATHEMATICÆ

Quas
DIVINA ANNUENTE GRATIA

In Inclita Academia Wittebergensi
SUB PRÆSIDIO

R.M. 7r.
III. 938.

Viri Clarissimi atq; Præ-eximii

DN.M. JACOBI SCHNITZ-
LERI,

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ Adjuncti meritissimi,
nec non Gymnasi Metropol. Transylvaniæ Rectoris
dignissimi, Præceptoris atque Fautoris sui os-
mni amoris & honoris cultu perpetim pro-
sequendi

*publico placidoq; eruditorum
examini submittit*

AUTOR & RESPONDENS

HENRICUS JACOBUS HATTORPIUS

Duderstadensis.

Ad d. 5. Octobr. In audit. maj.

ANNO

Periodi Jul. 6374:

Epoch Christi veræ 1663.

vulgaris 1661.

A conditu mundi 5610.

WITTEBERGÆ,

Literis Johannis Haken,

Nobili, Consultissimo, Amplissimis, Prudentissimis
& Speciosissimis

VIRIS

DN. ANDREÆ Håupt /

Inclytæ Reip. Goslariensium Consuli
meritissimo

DN. HENRICO HATTORPIO,

Camerario Reip. Osterodensis gravissimo

Nec non

Reverendo, Clarissimo atq; Doctissimo

DN. JOHAN-HENRICO HATTORPIO,

Ecclesiæ Salzensis Pastori fidelissimo.

Tandem

Clarissimo, Consultissimo & Speciosissimo

DN. MATTHIÆ TOLLENIO, J. U.

Candidato dignissimo.

Præstantissimo item, humanissimo nec non literatissimo

DN. GEORG-THOMÆ TOLLENIO,

S.S.Theologiæ & Phil.Studioſo indefesso

Dn. Affini, Patrueli, Cognatis, Mecoenatibus, Patroni s
atqve Fautoribus suis summo honore nunquam non
venerandis, debitaqve observantiâ ubique
honorandis

Discursum hunc Philosophicum in per-
petuum debitæ gratitudinis & observan-
tiæ rexmuñerov, nec non ulterioris fa-
ventiaæ ancupium

submissè affert
officiosè offert

A U T O R.



I. N. 7.
THESIUM MATHEMATI-
CARUM

I. Ex Astronomia.

Licet necessarium omnino sit, tempore Eclipseos lunaris unum luminare supra Horizontem esse constitutum, alterum v. infra eundem delitescere; pro impossibili tamen non habendum, posse eandem accidere, utroque Luminari in oculos nostros incurrente, atque adeo supra Finitem existente,



Ntequam apparentem hujus th. contradictionem solvamus, nihil abs re nos facturos arbitramur, si de Eclipsibus, iisque tam solariis quam lunariis non nihil præmittamus, cum easdem novisse res certè sit contemplatione dignissima, in quarum propinde causis investigandis merito occupati debent esse, ii, quorum de meliore luto finxit præcordia Tithan, ut ne, si easdem spectemus, cum rudi vulgo stupor nobis incutiatur, aut in superstitionis metum ac admirationem rapiamur. Eclipse g. solaris hunc in modum à nobis describitur: *Eclipsis Solis est interceptio luminis Solarij facta interpositione Lune inter Solem & nostrum visum tempore novilunij.* ubi præprimis no-

tandum venit, nullas Eclipses propriè ad Solem spectare, cùm ille radiis suis privari nunquam posuit; sed potius omnes ad Lunā esse referandas, quippe quæ luce sua, quam à Sole alias accipit, vel privatur, vel etiam opacitate sua non permittit radios solares ad terræ corpus penetrare, atque sic terram iisdem spoliat, unde quoque Eclipses ad terram potius referendas esse videntur, atq; proinde occultatio illa luminis solaris longè melius Eclipsis terræ salutari posset, si nim. respicere velimus subjectum, quod patitur: interim quia hæc affectio visum nostrum potissimum respicit, cui tempore Eclipseos Lunaris Sol diei director atque mundi oculus obfuscatus qu. & obscuratus videtur, non immerito hunc terræ defectum Soli etiam adscribimus, eumq; solarem appellamus. Describitur a. Eclipsis illa per interceptionem luminis solaris, non v. per privationem, & quidē optimè. Nam Solem luce sua propria nec privari, nec amittere eandem posse, luce meridiana clarius existit: interim & hoc obscurum nemini esse potest, corpus aliquod crassum, opacum radiisque lucis in pervium (quale quid. Luna citra omnem aleæ jactum esse creditur) inter ipsum & oculum in debita distantia interjectum impedimento esse posse, quò minus ejus radii in omnes terræ partes deferrantur, eamque illustrent: atque hinc tum temporis terra lumen solare non potest recipere, sed amittit idem, unde & per admissionem istiusmodi Eclipseos describi posset, non quidē ratione Solis, sed resp. objecti corporis sc. terreni, quod caliginem in talibus defectibus persentiscit. Adduntur deinde hæc verba: facta interpositione Lunæ inter Solem & nostrum visum: ex quibz colligere licet, quænam sit proxima & immediata Eclipseos solaris causa, & unde illa orietatur, nim. ob interpositionem Lunæ inter Solem & nostrum visum. Luna n. propter opacitatem suam radiis solaribus in eam incidentibus transitum ad nos non permittit, sed reflexionem eorundem causatur, ita ut ad visum nostrum non perveniant, sed à conspectu hominum arceantur, atque h. m. Sol resp. visus nostri obscurus redditur, licet per se & ratione sui lucem nunquam deponat, sed semper servet.

servet. Adjicitur tandem : *Tempore novilunij* : atque exinde manifestum evadit, quoniam tempore hæc φαινόμενα accidere soleant, nimirum in Novilunio seu tempore conjunctionis, non tamen omni, sed tum demum, quando Inminaria in uno eodemque coeli loco conjunguntur, luna vel prorsus nullam vel exiguum habente latitudinem seu distantiam ab Ecliptica : illo rite tempore quia radii solares propter interpositionem Lunæ seu corporis opaci visum nostrum ferire nequeant, necessariò Sol nobis obscuratus appetatur. ex toto. ex parte, prout nimis diversimodè se habet latitudo Lunæ. Si n. Luminaria in nodis existant, totum corpus Solis Luna in certo terræ loco obtinet, & sic oritur Eclipsis totalis : si v. pars tantum à visu nostro avertatur, partiā illa Eclipsis dicitur. Hanc a diversitatē diversa Lunæ ab Ecliptica deviatio causatur : non n. semper in Ecliptica ambulat Luna (aliás n. singulis noviluniis Eclipsis ☽ continget) sed deferens ejus Eclipticam, perpetuam Solis viam, in duobus tantummodo punctis interfecat, quæ puncta aliiās in genere nodi, in specie v. Caput & Cauda Draconis ab Astronomis vocari amant, nullam aliam ob causam, quam quod duo isti circuli, via scil. ☈ & ☽ duos quasi efforment angues, habentes caput & caudam in intersectionibus, ventris v. tumorem in locis à se maximè dissitis. Ex nodis illis alter, scil. Caput Draconis, quia Lunam ab Ecliptica in latitudinem Septentrionalem ducit, nodus ascendens itemque nodus boreus, Ptolomeo v. σύνδεσμος ἀναβίβαλξιν vocatur, & hoc charactere usitato ☽ pingitur, alter v. np. Cauda, quia Lunam in australē latitudinem abducit, nodus descendens, australis, Ptol. v. σύνδεσμος ἀναβίβαλξιν appellatur, & charactere insignitur tali ☉ Atque hæc breviter de Eclipsibus solaribus dicta sunt. Lunarem quod attinet, eam sequenti modo describimus. Eclipsis Lunæ est privatio luminis, quod Luna à Sole accipere debebat, ob umbram terræ sitam inter Solem & Lunam, Solis diametraliter oppositam. Generis loco ponimus privationem, idque rectissimè : siquidem quæ de Eclipsi ☽ supra diximus, ea hic affirmare non possumus. Sol n. propriâ suâ luce privari haud

potest, & propterea quoq; radii ipsius à visu nostro per lunā a-
verti tantummodo dicti sunt; at v. Luna, quia omnium excel-
lentissimorum Mathematicorum pariter ac Physicorum con-
sensu experientiā rerum omnium magistrā satis superque pro-
bato magis de mutuatitia quam propria fulget luce, ea ipsi a-
dimi potest, ut tenebricosa & opaca nobis appareat. In sequen-
tibus verbis causa & tempus Eclipseos Lunaris latet: sicut n. E-
clipsis solaris oriebatur ex objectu Lunæ inter Solem & terrā,
ita hīc Eclipseis Lunæ sit propter interpositionem terræ inter
Lunam & Solem: hæc autem interpositio tantum accidere
potest in diametrali eorundem oppositione seu tempore pleni-
lunii, & quidem tum, quando Luna non procul à capite l. cau-
sa Draconis hærens ita opponitur Soli, ut ille radios suos ob
interpositionem terre, quippe quæ l. omnes l. quosdam exci-
pit, diffundere non possit, ut ab ea recipiantur. Quomodo i-
terum hæ Eclipsees dividantur in totales, easque l. cum l. sine
mora, & partiales, itemque universales & particulares, h. l. si-
lentii peplo involvimus, cum easdem pluribus describere scop⁹
noster non permittat, quippe qvibus unicè in id incumbendum
est, ut theseos veritatem ostendamus, & apparentem contradic-
tionem diluamus; hoc n. si fecerimus, thesis nostra à falsitatis
stigmate, qvod inuri facilè eidem posset, liberabitur. De E-
clipsibus a. earūq; causis necessariò agendum erat, ut veritas th.
eò melius in lucem protraheretur. Nullus a. dubito, quin pri-
us ejusdem membrum per se pateat ex supra dictis, quia ibidē
nostro quidem judicio sufficienter demonstravimus, non posse
contingere Eclipseis lunarem nisi luminaaria sibi invicem sint
opposita. Jam v. oppositio illa esse non potest, nisi Lumina-
ria ita ē se invicem discesserint, ut gradus in Zodiaco ē dia-
metro oppositos occupēth.e. nisi 180° distent, vi ipsius def. atq;
sic omnino necessariū erit, tēpore Eclipseos lunaris unū lumina-
re infra Horizontem latere, qvia nos solummodo semicirculum i.
e. dimidiam cœli partem, non v. integrum circulum oculis no-
stris usurpamus. Stat g. prius membrum. Alterum qvod spe-
stat, id itidem facili negotio probatum dare possumus, si in-

con.

consilium vocemus experientiam veritatis meridiem, ocularesque adjungimus demonstrationes. Plinius naturae mystes celeberrimus l. i. c. 13. testatur, Lunam anno Christi 72. Feb. 22. eclipsatam fuisse visam Luminari utroque supra terram existente: quin etiam suffragatur hic nobis Mœstlinus Mathematicorum haud postremus, qui anno 1590. die 17. Jul. (teste Kepl. Astron. Opt. p. 136.) Tubingæ vidit Solis centro supra Horizontis planum emergente Lunam ab australi parte corporis aliquot digitis jam deficientem duobus pene gradibus elevata: & contra Lunæ centro sub occasum descendente notavit Solis supra Horizontem duorum graduū altitudinē, cù tamē Luna occiderit, priusquam ad maximam obscuritatē pervenerat. Idē quoq; observatum legimus in aliis Planetis, quod sc. supra Horizontē apparuerint, cùm tamen revera infra eundem fuerint. Obtigit n. in Q Bernardo Walthero, ut ipse narrat in observationibus suis ad annum 1489. d. 6. Martii, itemque Landgravio Hassiæ, Heroi laudatissimo, prout legi potest in Epl. Tychonis p. 22. nec non Mœstlino supra adducto in Astron. Opt. Kepleri p. 156. In Sole ferè quotidie observari potest, in primis v. idipsum Hollandi in Nova Zembla propter frigoris inclemenciam noctisque hyemalis incidentiam hæsitantes experti sunt, quibus Sol anno 1596. 4 Nov. occidit, & tandem 24. Januarii sequentis anni præter omnem expectationem oriebatur, cùm tamen propter situm Horizontis illius & Solis declinationem, nondum oriri debebat. Hic g. merito de causa hujus rei solicii sumus, quare sc. fiat, quod Sol & alii Planetæ supra Horizontem appareant, cùm tamen corporibus suis revera infra eundem sint positi. Rationem a. petimus ex Optica, in specie quidem Anaclastica seu Mesoptica, quæ præsidium in sola refractione Luminarium & stellarum repositum esse ostendit. Refractionem a., de qua h. l. sermo, voco, qn. stella aliqua secundum speciem & imaginem suam supra Horizontem videtur conspicua, quæ tamen infra eundem latitat: Posse a. aliquid videri per radios refractos, quod per directos nō potest, id quidem sufficienter demonstrant Optici, & ad oculum patere potest,

est , si in fundum , vasis aliquis ponatur lapillus vel aliud
quoddam perspicuum, ita ut ad oculum pertingat & videri pos-
sit : deinde à vase recedendo visus removeatur et usque, donec
lapillus oculos nostros fugiat : idem rursus infusa aqua, persi-
stente oculo in eodem situ incipit apparere . Quod si in
situ oculi collocetur accensa caudela , videbis illustrationem
ab ea pertingere ad lapillum : aqua v. amota illustrationem
ultra lapillum directe extensam per aerem nullo modo ipsam at-
tingere , Vid.Zucch.66.Causa a.hujus est ex eo, quod radii cor-
poris aliquis in medio densiori siti, quando ad superficiem medii
rerioris pervenient , refringantur recedendo à perpendiculari .
Cum g. circa Horizontem aer ut plurimum halitibus ac vaporis
elevatis sit refertus , mirum non est , Solem imaginem su-
am , formamque aspectabilem in eosdem immittere , imprime-
re , refringere arque reflectere . Quid ipsum sicut quotidiana
confirmat experientia , ita in primis refractionem illam experti-
sunt Hollandi , de quibus supra dictum quoque est , ii n. quatuorde-
cim diebus prius ac par erat , salutare & laetum Solis jubar con-
spexerunt . Atque ex his ipsis veritas theseos constat . Ut rem tri-
bus absolvamus verbis , dicimus : Solem tempore Eclipseos lu-
naris nobis visibilis revera & quoad corpus suum esse sub Ho-
rizonte , apparetur v. & secundum imaginem tantum & speci-
em visibilem supra cunctem aspectui objici propter refractio-
nem .

II. Ex Geographia.

Cognitâ globi terreni perimetro seu circumfe-
rentiâ difficile haud est ex principiis Ar-
chimedis ejusdem diametrum , superfi-
ciem & soliditatem invenire , atque in
milliaribus germanicis determinare .

Priusquam hoc demonstremus , operae pretium erit , ut
terminos hicce occurrentes prius explicemus : quod ut et distin-
ctius fiat , magnitudinem globi terreni dispescimus in sim-
pli-

plicem & compositam. Illam cōstituunt perimeter & Diamē-
ter; hanc v. facit superficies tam plana quam convexa, atque
soliditas. Perimeter est linea circularis globi terreni superficie ē
circumquaque obtensa s. ambitus eundem undique claudens.
Intelligo a. lineam circularem maximam, quæ sc. per centrum
globi terreni transit, ita ut si secundūm ejus ductum globus ter-
ræ se cetur, divisio fiat in duas parres æquales; non n. ex quo-
vis circulo v. gr. polari vel Tropico in terra concepto perime-
tri quantitas æstimanda venit, sed ex circulo tantum maximo.
Diameter est linea recta per centrum ipsius ducta, & ex utraq;
parte in peripheriam terminata. Superficies plana est area
perimetro inclusa, quam ostenderet planities globi juxta peri-
metrum in duas partes divisi. Superficies convexa est, quā to-
tus constat globus, seu est globi terreni rotunditatis ad extra-
mensuratio. Soliditas tandem est totius terreni globi moles tria-
dimensione constans. His ita præmissis ad perimetrum inve-
stigandam properamus, quam facili negotio invenire licet, si
præsupponamus, id quod & experientia docet, & Astronomi-
cæ testantur observationes, sc. iis in locis, quæ 15. ab invicem
milliarib[us] in círculo maximo distant, ortumvè vel occasum
versus vergunt, tantam dierum noctiumque accidere quanti-
tatis mutationem, quanta uni in cœlo gradu respondet, 2.
elevationem poli vel ejusdem stellæ altitudinem meridianam
duorum locorum 15. mill. germ. à se invicem sub eodem meri-
diano dissitorum uno præcisè gradu variare. Cū g. ho-
rum graduum maximus sphærae terrestris circulus contineat
360, fit inde per Reg. auream

o dat mill. germ,

1 ————— 15 ————— quot 360? quibus 360 per 15. multi-
plicatis productum 5400. erit numerus milliarum germani-
corum integrâ circumferentiâ circuli terrestris maximi con-
tentorum.

Datâ jam perimetro in cognitionē diametri facillimè deveni-
re possumus. Cū n. perimeter tripla sit diametri & adhuc exce-
dat minore quidem quam septima parte diametri, majori v.

quam decem septuagesimis primis, ceu demonstravit Archimedes l. de circuli dimensione, facile innotescet ipsa, si iterum fiat per reg. de tri. Ut $3\frac{1}{4}$. ad 100, ita peripheria data 5400 ad diametrum inveniendam esse mill. germ. $1719\frac{2\frac{3}{4}}{3\frac{1}{4}}$ vel $\frac{117}{757}$ adeoque semidiameter $959\frac{1}{2} + \frac{117}{757}$.

Cum a. hic calculus propter adhærentem fractionem difficilis reddatur, & v. differentia sit planè insensibilis, numeros rotundos assumere solent Geographi, pro diametro quidem 1720, pro semidiametro v. 860. mill. germ. quod planè nil obstat in mensurandis stellarum altitudinibus, siquidem tota diameter resp. cœli vix ullā sensibiliem habet differrētiā, quam g. particula unius milliaris inferre poterit? Porro pro investigāda superficie convexa & soliditate cum nosse debeamus superficiem planam, pro eā inveniendā ducatur tantummodo semidiameter terræ np. 860 in ejusdem semiperipheriā 2700, productū n. exhibebit superficiem planam in milliaribus quadratis seu superficialibus h. m.

$$\begin{array}{r}
 2700 \\
 86 \quad 0 \\
 \hline
 162000 \\
 216 \\
 \hline
 232000
 \end{array}$$

232000. Hæc superficies quadruplicata seu per 4. multipl. dabit 9288000 mill. germ. superficiem convexam. Cum n. cuiuscunque sphæræ superficies sit quadruplica maximi in sphærâ circuli ex Archim. l. r. de sphærâ & cylind. pp. 30. Et v. area circuli æqualis sit rectangulo comprehendendo sub semidiametro circuli, & sub linea semicircumferentiæ æquali, ceu itidem demonstravit Archim. l. de dimens. circuli aliter res se habere non potest, sed operatio rectè est instituta. Interim diffitendum haud est, non adeo accuratam hanc esse methodum propter adhærentem semidiametro terræ fractionem, quæ proinde superficiem paulò majorem producit, unde alia ab aliis adhibetur methodus, quæ hæc est: Sicut se habent

88 ad 7, ita se habet quadratum peripheriae globi terreni ad aream.

88—7—29160000

7

204120000 (2320000)

88

Pro investiganda superficie convexa itidē alio modo possum⁹ progredi, si sc. tota diameter terræ multiplicetur cū peripherias productum n. priori æquale proveniet.

Tandem cūm constet ex principio Archimedeo, duas tercias partes areæ circuli maximi per diametrum multiplicatas producere soliditatem globi cujuscunque, dividatur area supra inventa per terna rium, quotiens v. bis sumatur, qui per diametrum multiplicatus producit 2659 464000. soliditatem in milliaribus Cubicis seu tria dimensione constantibus concupitam. Id quod erat demonstrandum.

Th. III. EX OPTICA.

Visionem neque per emissionem radiorum ex oculo, neque per emissionem eorum & receptionem simul, sed per solam specierum visibilium receptionem fieri, veritati quam maximè est consentaneum.

Circa potentiam visualēm variæ variorum occurunt Autorum sententiae, quas pleniū videre licet ap. Aristot. l. de sens. & sensil. & Gell. l. 5. c. 16. In primis a. tres in scenam Philosophicam sunt introductæ, quibus etiam defensores non defūnt. Euclides n. Hipparchus, Ptolomæus & Stoici putarunt, radios ab oculis porrectos extremitatibus suis tanquam manibus apprehendere rem visibilem, ejusque apprehensionem visui reddere, que visio alias per expeditiſcū radiorum ex oculis

emissionem fieri dicitur. Plato v. & Pythagoras existimârunt, radios emitti tum ex oculis, qui vident, tum ex rebus, quæ videntur, ita ut radii visibilis & oculi in intermedio conjungantur, atque ex tali radiorum coniunctione seu concursu oriri visionem: quæ visio aliâs dicitur per emissionem & receptionem simul. Aristoteles v. Democritus, Leucippus, Epicurus, Alhazen & Vitello ἐνπτωσις εἰδώλων seu receptionem specierum statuunt, quâ sc. radii visibiles ab objecto diffusi in oculum incident, ibidemque veluti in speculo retinentur, atque ab anima hominis discernuntur. Atque hanc sententiam ultimò adductam, cùm firmiter simus persuasi, eam omnibus aliis esse præferendam, calculo nostro approbamus, & aliquot rationibus corroboramus.

Argumentamur n. I. Si visio sit per emissionem radiorum visibilium, tum objectum visibile nullibi poterit repræsentari, nisi ubi oculus est constitutus. At posterius cùm sit falsum, prius quoque absurdum erit.

Majoris veritas est in propatulo; neque minorem quisquam in dubium vocare poterit, nisi planè contra experientiâ loqui velit. Quodiè n. observare possumus, speculum objecti visibilis imaginem propter radiorum incidentiam in se recipere, quantumvis nullus in ipso collocatus sit oculus. Eodem modo spelunca profunda, nec non præaltus puteus in se recipiunt species stellarum in æthere lucentiam: quemadmodum etiam charta alba in loco obscuro & caliginoso, ut in Camera obscura, ex adverso angusti foraminuli posita species objecti visibilis admittit adstantibusque manifestè repræsentat. Imò, quod summam meretur admirationem, ipsa etiam species visibilis rei objectæ in oculum recepta observari bene potest ab eo, qui alterius oculos inspicit, non secus ac in speculo. Hoc a. fieri minimè posset, si fieret visio per emissionem radiorum ex oculo. Ut ratiocinamus jam, falsæ hypothesi superstructam esse sententiam illorum, qui emissionem defendunt, quasi oculis hominum insitum sit lumen. Cùm a. hoc falsum esse per se constet, neque ullum ipsis insit, nullum etiam ad objecta visibilia

lia pertingens poterit egredi. Et quid causæ, si radii ex oculis emittuntur, eur senes, ut eò melius atque distinctius objectum visibile percipient, illud ipsum à visu removeant alio modo, cùm vis radii visorii prope oculum deberet esse major? quid impediret, quò minus animal noctu quoqve videret, cùm sufficienter posset medium per radium Opticum illustrare?

Argumentamur II. Sensationes aliorum sensuum sunt per receptionem specierum. E. & visus. nulla enim in homine datur facultas cognoscens, qvæ primò ab objecto nō moveatur, mens siqvidem à phantasia movetur; phantasia à sensu communī; Sensus communis ab externis sensibus; similiter externi sensus per solam receptionem moventur. Quāre dicendum haud est, in solo visu rem aliter se habere.

Arg. III. Qvicqvid subjectum aliquod destruit, illud à subjecto illo recipitur, At excellens visibile corruptit & permit instrumentum visus. E. ab instrumento visus tanquam subjecto recipitur... Maj. fundatur in 7. Phys. Aristot. c. 7. Minorem a. facile testabuntur, qui semper circa ignem versantur, magis v. i. qvæ stellas in cœlo lucentes oculis sæpe intuentur; qvam maximè a. isti, qui Solis jubar inspicere conantur. Hæc g. & similia argumenta, qvæ nunc addere non placet, satis evincunt, species visibiles extrinsecus in oculum recipi, adeoque visionem ex perceptione specieram visibilium oriri.

Th. IV. Ex Chronologia.

Mundus nec in hyeme, nec vere, nec æstate, sed
in Autumno conditus est.

Non utiliter minus, qvam subtiliter inter Philosophos hæc agitari solet controversia, qvonam sc. tempore omnipotentia divina hujus universi sistema ex nihilo produxit. Circa quam tot fere, quot capita sunt sententiæ, qvibus in quadrum redigendis vix alter vel Hercules vel Plato sufficeret. Tāta n. est opinionum hac in re varietas, ut veluti obductis tene-

bris lucem non valeat mentis acies inspicere, si omnes illas ve-
lit perlustrare, & sub examinis incudem revocare. Senten-
tias non paucas de eodem adducit Sixtus Senensis Bibliothecæ
Sanctæ l.5. sed ita, ut vix centesimam partem Autorum à se dis-
sentientium adduxisse videatur. Reperias n. qui totam quæ-
stionem rejiculam & nullius ponderis putant, propterea quod
mundus non tam in tempore, quam cum tempore conditus sit,
itemque quod pro varietate Regionum uno eodemque tempo-
re omnes anni vicisitudines experiantur incolæ, fervente enim
apud nos æstate, alios gelida vexat hyems, alibi autumnus do-
minatur, alibi ver. Videatur hac de re Vir magni nominis
in Ædit. suis Philosoph. part.3. p.232. Nec sunt nulli, qui Epo-
chæ mundi conditi demonstrationem non tantum inter $\chi\alpha\lambda\epsilon$
 $\omega\alpha$, verum etiam inter $\tau\alpha\lambda\delta\sigma\alpha\lambda\alpha$ planè numerare audeant;
Ita n. expressè Astrorum Princeps Ptolomæus l.3. *μεγάλης Κυ-
ρίωνος*: Totius mundi aut alius multiplicis temporis obser-
vationes considerare putamus alienum esse ab iis, qui discendi
& vera cognoscendi studio ducuntur: cum quo in eodem hæ-
ret-luto Censorinus, qn. ad Q. Cærellium c.31. sic scribit: Pri-
mum tempus sive habuit initium, sive non, certè quot annorum
sit, non potest comprehendendi. Hæc gentiles suo tempore, quos
etiam non adeò miramur, quod legitimis mediis in hujus E-
pochæ cognitionem deveniendi fuerint destituti, vel n. histo-
riam creationis à Mose descriptam ignorarunt penitus, vel fidè
nullam Scriptori $\gamma\epsilon\omega\tau\alpha\lambda\sigma\omega$ habuerunt. At quod etiam Chris-
tianos inter ejusmodi dentur, qui nullam hic certitudinem
haberi posse putant, id quidem ipsis erat indignum. In primis
notamus hic Dionysium Petavium, magni alias nominis Jesuitam,
& Antiquitatum scrutatorem sedulum, qui album calculu-
lum gentilibushac in parte adjicit, dum rat. temporum parte 2.
l. 2. c. 1. rotundo fatetur ore; annorum numerum, qui ad æram
Christianam à M.C. effluxerunt, nulla certa ratione, sed verisi-
mili tantummodo conjecturâ colligi, cum illorum annorum
calculus ex Sacro Codice sit deducendus, qui tamen minus li-
quidam & explicatam temporum subductionem contineat. Qui
vide-

videri etiam poterit l. 9. de doctrina temporum c. 6. aliisq; in locis. In hujus castra descendunt quoq; Joh. Gerh. Vossius dis fert. de anno , Nicolaus Mullerius, & alii. Præ reliquis v. omnibus atro carbone notandus venit Isaactus Peyrerius natione Gallus, qui Præadamitas somnians omnes probabiles Chronologorum de Epochæ mundi opinones in dubium vocavit. Hic n. cōtra expreſſam Sacrae Scripturæ literam negatætatem mundi ab Adamo deducendam , quod ipſe non fuerit primus homo, eujus mentio fit Gen. i. sed quod tum demum fuerit creatus, cūm terra hominibus abundaret : inq; testimonium hujus rei adducit Ægyptios , interque hos Chinensium computum allegat, qui anno Christi 1594. numerabant annum 880 1070 i.e. octingenties octuagies millesimum septuagesimum. Cætrum illi ipſi, qui de inventione natalis mundi aliquid certi haberí posse putant, iterū in diversas scinduntur partes. Licet n. nulli , quod ego quidem sciām , pro tempore hyemali pugnant, neque etiam pro æstivali, si Gerhardum Mercatorem & Ægyptiorum non paucos , qui teste Solino c. 5. polyh. & Macrob. in somn. Scip. l. 1. c. 2. tum natalem mundi celebrabant, excipias: vernale tamen Patronos habēt plurimos, quemadmodum etiam hoc & sequentia singula nervosè demonstrat Rev. ac Excell. Dn. L. Strauch in Brev. suo Chronolog. Ut n. Ethnicorum , præprimis Virgili Poëtarum Principis l. 2. Georg. mentionem non injiciamus , certè sententiæ huic multi inter Scriptores Ecclesiasticos & Historicos favent , ut Eusebius , Ambroſius, Cyrillus, Augustinus, Beda, Alphonſini Mathematici, Melanchton, Buchholtzerus, Buntingus , Codomannus, Keplerus, Alstedius, Mercerus, Spondanus, Capellus, Langius, imò ipſe Scaliger in priori editione librorum de emendatione temporū, & infiniti alii. Quid? quod integri etiam populi hunc calculum in fastis suis sequantur, ut Armeni , Persæ & finitimiæ Regiones orientales. Verūm quicquid hujus sit, non impendem⁹ nos impræsentiarum, cūm brevitati sit studendum, operam nostram in refutandis horum omnium opinionibus, sed easdem suis Autoribus illibatas retrò mittimus, afferentes interim , mūdum

dum non alio quodam tempore, quam autumnali esse conditum. Hęc n. sententia sicut magnis Viris, np. Hieronymo, Lyre, Josepho, Alphonso Tostato, Torniello, Scaligero, Petavio, Helvico, Behmio, Moesthino, Uboni Emmio, Calvisio, Hainlinio, Jacobo Martini, ut & per amplae Russorum nationi & finitimis populis aliis arridet, ita firmissimè quoque ex sacris literis probari potest. Producimus n. nos hanc in rem I. consuetudinem Patriarcharum, quos ante exodus ab Autumno suos inchoasse annos colligi potest ex Exod. 12. v. 2. ibi n. peculiari sanctione Dei cōsuetudo Judæorū immutatur, ita ut initiu anni ex autumno in ver transferatur; hac a. sanctione opus haud fuisset, nisi diverso tempore antea Patriarchæ, traditione sc. ab Adami temporibus usque conservata permoti, annum suum inchoassent. Idem constare etiam potest ex Exod. c. 23, 16. & c. 34. v. 22. ubi tempus collectionis frugum dicitur revolutio anni, Notamus II, quod Moses mense secundo diluvium accidisse testetur, Gen. 7, 11. Mensis a. ille secundus teste Josephol. I. Antiquit. Jud. c. 4. fuit Marchesuan seu secundus autumnalis: & sic necessariò Thisri primus fuit autumnalis ap. Judæos. Extra omne v. dubium initium anni ab eo mense auspiciati sunt, quo mundus conditus fuit. III. Non ineptè huc annorum Sabbathicorum & Jobelorum institutum referri potest, qui vi sanctiōnis divinæ ab autumno initium sumebant; Lev. 23, 27. c. 25. v. 19. Jam si mundus tempore vernali cœpisset, in conveniens admodum fuisset hęc Dei constitutio. Urgemus IV. quod Judæorum Antiquissimi historiam Creationis Biblicalam mense Thisri prælegendam esse non sine gravi causa ordinarunt. Alia argumen-ta videantur alibi: præprimis Calvis. Chronol. Isag. c. 34. itemq; D. Behmii manuduct. Chronol.. l. i. tit. 10. Animum quidem induxeram, ipsum annum np. 764. Periodi Jul. & diem quoque np. 26. Octobr. Conditi mundi demonstrare, verum cūm præter spēm pagellarum spatiū ultra, quam par est, fere repletum sit, nunc hic subsistimus.

Δ. T. Θ.

C O-



COROLLARIA.

Minus subtilis Scaligeri videtur subtilitas, Logica
quâ (exerc. 365, sect. 3.) affirmat, haud rectè
extorsisse usum, ut concretos de DEO p̄-
dicaremus terminos,

Individuum seu singulare est universale.

Una eā simplicissima Dei est potentia, nihilominus Metaphy-
sica.
v. bene alia dicitur absoluta, alia ordinata.

Ex eo, quod DEUS non posset mentiri, nec factum
reddere infectum &c. absurdè à Plinio & Plutarcho
negatur, ipsum omnipotentem esse.

Natura verè, per se & naturaliter nequaquam vel Physicum.
senescit, vel vigorem suum pristinum deperdit.

Triangulorum solutio per Sinuum, Tangentium & Trigono-
metricum
Secantium Logarithmos est compendiosissima.

Stellas fixas novas esse Cometas sublunares, sicut putat Astrognō-
stica.
Theodo. Graminæus Prof. Colonensis intr: de
stella nova anno 1572., absurdissimum est fi-
gmentum.

Septenarius Planetarum numerus non est sufficiens.

Astrologia Philosopho non est indigna. Astrologi-
cum.

*Ex Architec-
tect. mili-
tari* *Munimenta in debita planitie penes fluviū na-
vigationem sita longè præferenda sunt iis, quæ in locis e-
ditis conspicuntur, aut in depresso existunt.*

Ex Civili. *Inter quinque columnas Architectonicas Composita
(alias Latina vel Italica dicta uti recentissima,
ita omnium elegantissima & formosissima exi-
stet.*



Ille mihi doctus, qui diaMathemata tractat,
Hoc Hattorp faciens sic quoq; doctus erit

Christophorus Nottnagel /
P.P. h.t. Decanus.

Publica dum scandis pugnaci pulpita voce,
Non pugnis, sed Apollineo certamine pu-
gnas.

Scilicet hinc claret, quantâ tu sedulitate
Hactenus in Sophia privis pugnaveris armis.
Pol! privata solent sic publica præmia ferre,
Quæ Tibi concedat Deus, Hattorpi, benedis-
tus.

Sic Præstantissimo Dn. Reff. & Aur.
Amico honoratissimo gratulatur

P R A E S E S.

Was

Was ist der gelbe Koch / da mancher
Sinn nachstehet;
Es ist ein nichtig ding / so oft im mi
ver gehet.

Es bringet wenig Ruhm / es ist ein
Zeitlich Reich /
Und ist im kleinsten nicht der Edlen
Tugend gleich.

Drumb lob ich diese That / der du den
Lentz der Tugend /
Wein vielgeehrter Freund / gewidmet
hast der Tugend /
Und liebest solchen Schatz / der Ehre
gibt zu Lohn /
Und dich durch steten Fleisz / schreibt
an der Sternen Thron.

Ich wünsche Glück dazu : fahr ferner
fort zu schreiben /
So wird unsterblich Lob dir bey der
Nachwelt bleiben /

Vnd

Und weil man dich itz und zu kämpfen
auff gestellt /

So halte dich auch woffrecht als ein
föhner Held.

Als schuldig pflicht schete dieses
seinem vielwehrten Brüderli-
chen Freund

Georg Hinrich Schreiber /
der Welt Weisheit oblicher.



